

DISSERTATIO ACADEMICA,
OBSERVATIONES NONNULLAS
DE
DIGNITATE JARLORUM
IN SVECIA

PROPONENS;



Quam

Consensu Ampliſſimæ Facultatis Philoſophicæ in Reg. Acad. Aboëniſi,

PRÆSIDE

MAG. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,

ELOQV. PROF. REG. ET ORD. REG. ACAD. LITT. HUMAN. HIST.
ET ANTIQVITT. NEC NON R. SOC. SCIENT. UPSAL. MEMBRO,

PRO GRADU


Publice Examinandam ſiſtit

ERICUS JOH. FROSTERUS, *Joh. Fil.*

Stip. Reg. Ofrob;

In Auditorio Majori die 21 Junii 1798,

horis p. m. ſolitis,



ABOÆ,

Typis FRENCKELLIANIS.

VIRO
PLURIMUM REVERENDO ATQUE PRÆCLARISSIMO
DOMINO

JOHANNI FROSTERO,

Pastori Ecclesiæ in Pudasjärvi Meritissimo,
Regiæ Societatis Oeconomicae Fennicæ Membro,

Patri Indulgentissimo,

*In pignus animi venerabundi, beneficiorum plus quam
paternorum memoris, Disertatiunculam hanc*

D. D. D

Parentis Indulgentissimi

Filius obedientissimus
ER. JOH. FROSTERUS.



§. I.

Ut *Farlorum* (a) dignitatem in Regnis Septentrionalibus olim fuisse constat præcipuam; ita non eadem semper potestatem nomen hoc fuisse adhibitum, nec vel auctoritatem vel officia, huic dignitati adjuncta, iisdem semper fuisse limitibus definita, doceri facile potest. Aliquando enim non tam Magistratum aliquem in Civitate præcipuum, quam honorem generis insignem (qualis Regum aliorumque virorum Principum proximis tribuebatur cognatis), hanc appellationem indigitasse, reperimus (b). Præfectis porro

A

Provin-

(a) De etymo hujus vocis, ut & ejus potestate, cfr. Nob. IHRE *Glossar. Sviog.* voc. *Farl*: a quo vere disputari putamus, hoc nomen ex Anglia ad Norvegos atque nostros majores transiisse, ac apud veteres, cum regionis alicujus Præsidem significaret, Latine *Comitem* fuisse vulgo conversum; uti cum totius regni proximum a Rege administratorem denotaret, *Ducis* appellationem ei plerumque respondisse constat. Cfr. Nob. BOTIN *Svenska Folkets Hist.* II Band. (IV. Tidehv.) C. V. p. 173.

(b) Cfr. Nob. IHRE l. c. It. STURLESON *Hist. Reg. Norveg* (in *Hist. Haralds Pulcrifici* C. 35, ac) per to-

vinciarum supremis, qui easdem Regis loco gubernarent, hoc nomen datum fuisse novimus; ac summo tandem, post Regem, totius Reipublicæ administratori, soli adhæsisse, constat. De quo quidem genere utroque (quatenus in patria olim floruit) non satis diligenter a rerum nostrarum antiquarum scriptoribus semper distincto, pauca disputare, bona (ut speramus) L. C. venia, his pagellis instituimus.

§. II.

Quam vetus, imprimis quatenus Præsides provinciarum indigaret, nomen *Jarlorum* in Svecia fuerit, facile non est investigatu. Tempora tamen *Ingialdi Illråda* attingere, doceri vix queat? quamvis hunc per constitutos, loco Regulorum perfide occisorum, Governatores Provinciarum, has regere instituisse, valde sit probabile (a). Neque in Norvegia

tum opus passim. Plura sane docent exemplâ, hanc dignitatem, in nonnullis saltem familiis, mature factam fuisse (tam in Svecia, quam Norvegia) hæreditariam (unde formula *vara Jarlboren*); atque viros illustres, nullis licet provinciis regendis præfectos, hinc *Jarlorum* tamen nomen gessisse reperimus: quod ex gr. de filiis celebris illius *Ragvaldi Jarli* observat (ex STURLONDE, *Hist. Olavi Sancti* C. 95) Nob. LAGERBRING *Svea Rikes Hist.* P. I, C. X. §. 7, p. 378.

(a) Locum *Eddæ* (*Konga heite*) huc tractum, ubi officia *Jarlorum* tanguntur, recentiorem redolere ætatem, quam ut ad antiqua adeo tempora pertinere queat,

gia diu ante ætatem R. *Haraldi Pulcriconi* (circamedium seculi IX) illam invaluisse dignitatem, putes (b):

A 2 qvæ

facile patet; "Fyrer thuy ad Thiodkongur hvor sa er
 "rådur londum mörgum, tha setur hann til Land-
 "stjörnar með sier *Skattkonga og Jarla* ad dâma Lands-
 "Lög og veria lond fyrer öfryde, i tham londum er
 "Kongi liggia fiârri, oc skulu theirra dômar og reff-
 "sijngar vera thar jafnriettar som sialffs Kongs". Neque
 igitur tam confidenter debuerat Generosiss. V. DALIN
 institutionem *Jarlorum Herferorumque* per Sveciam
 vel *Ivaro Vidfadme* vindicare, vel eo adhuc anti-
 qviorem facere. Cfr. EJUSD. *Svea Rikes Hist.* T. I.
 C. VII. §. 21 p. 220 sqq. & C. XV. §. 2, p. 438. sq.

(b) Narrat quidem STURLONIDES l. c. *Yngl. Saga* C. 49,
 Regem *Halfdanum Hvitben*, filium *Olavi Trätälja*,
 cum Wermelandiam sibi tributariam fecisset, *Jarlos*
 ei regendæ præfecisse; memoratur porro *Ömund Jarl*
 or *Sparabui*, (ditionis *Tbrondhemienfis*), Pater illius *Ke-*
zilli Jamte, qvi tempore *Eisteyni Illråda*, superatis al-
 pibus Norvegicis, primus in Jämtlandiam fugisse di-
 citur (l. c. C. 49, & *Hist. Olavi Sancti* C. 147.); sed
 suspicari quis possit, ad ipsam potius horum præfecto-
 rum potestatem atqve honoris similitudinem, quam
 nomen, Auctorem animum intendisse? Fieri enim sæ-
 pe solet, ut scriptores sui temporis moribus obsecu-
 ti, munera nominibus designent serius demum iisdem
 additis. Qvæ res hoc quoque in nomine dubitatio-
 nem interdum parere possit? (Cfr. ex. gr. qvæ habet
 STURLESON *Yngl. Saga* C. 31 de *Vottero & Fåsto*,
Jarlis Frodonis R. *Daniæ*). Qvo etiam pertinere cre-
 das, qvæ idem (ibidem C. 40) narrat de conyocatis,

qvæ eodem fere ævo ad Svecos etiam transiisse videtur (c). Instituto autem R. *Haraldi* imprimis fuisse per Norvegiam celebratam, dubio caret (d): licet ordinem ab eo stabilitum nec in suo regno mansisse illæ-

ex toto regno ab *Ingialdo Illræda*, ad cohonestandas exsequias Patris sui, *Regulis & Farlis* (Optimates non male hoc loco vertit PERINGSKÖLDIUS) virisque aliis honoratoribus? SNORRONIS verba sunt: "*Ingialdur Konungur* sendi menn um alla Svithiod, oc baud til sin "*Konungom ac Förlom ac ödrom Merkis mönnum*" Adde qvæ paullo post habet: "*Þat var sidvenia i thann timæ, þar er erfi skyldi giöra eptir Konga Edr Farla*". (PERINGSKÖLDIUS interpretatur: "cum mortualia Regum Principumque celebranda forent.")— Quin peregrinorum quoque populorum Præfectis *Farli* nomen veteres scriptores tribuere haud dubitasse, reperimus. Sic ex gr. de *Farlo Gallicie* loquitur STURLONIDES l. c. *Hist. Sigurdi Försalafara & fratrum suor.* C. 4.

(c) Sic regnante in Svecia *Erico Emundi*, (circa initia occupatæ ab *Haraldo Pulericomo* totius Norvegiæ) illius nomine Ditioni Bahusienfi hodiernæ &c. *Farli* appellatione atque auctoritate præfuisse docet STURLESON *Ranum Gotbicum (Hrane Gautski)*, l. c. *Hist. Harald Puleric.* C. 14 & 18.

(d) Vid. STURLESON l. c. *Hist. Harald Puleric.* C. 6. *Deinceps* frequens occurrit *Farlorum* mentio, variis regionibus illius provinciis imperantibus. Cir. IDEM *Hist. Olav Tryggonis* C. 49.

illæsum reperiamus (e); multo minus per Sveciam fuisse usquevaque adoptatum (f) videamus. Præsides limitaneis regni Provinciis præfectos, easdem contra irruptiones hostium defensores, illustriori hac fuisse dignitate ornatos observamus (g); interiores regiones amplissimo aliquo tali (præter Regem) duce minus opus habere, videbantur (h).

(e) Exempla et testimonia affatim præbet STURLESON, turbas enarrans post violenta *Haraldi* consilia Norvegiam diu infestantes, quibus jactatæ provinciæ ab aliis aliisque Regulis & Jarlis subinde occupabantur. Cfr. *Hist. R. Olavi S. C.* 34. & 44 Etc.

(f) Nulla sunt vestigia, quæ ostendant morem ab *Haraldo* Norvegico introductum, singulas regni provincias per Regulos, *Jarlos* atque *Herseros* gubernandi, nostris quoque placuisse. *Herserorum* in Svecia vix ulla (certa quidem) occurrit mentio; nec *Jarlorum* plurium simul constitutorum ac diversis regni provinciis præfectorum, exempla facile invenias.

(g) Cfr. verba *Eddæ* nuper allata (in not. a). Hinc *Vestrogotibiæ*, ut non solum a Regni sede remotiori, sed etiam finibus cum Danicis tum Norvegicis adjacenti, *Jarlos* fuisse præfectos reperimus sæpius: qualis fuit celebris ille *Ragvaldus Ulsonis*.

(h) Sic nullum commemorari *Jarlum* invenias *Tiundia*, *Sudermannia*, *Vestmannia* &c. sed tantum *Gotibiæ* & *Vestrogotibiæ*, (simul etiam *Vikia* & *Vermelandia*). Qui reliquis præerant provinciis, eos *Landsbófdingar*, *Landsberrar*, &c. appellatos fuisse, constat. Vid. LAGERBRING l. c. T. II C. XII. §. 13 p. 394 sq.

§. III.

Qvali potestate hi *Jarli* apud Svecos olim sint gavisi, quæ illis officia incubuerint, & qvalia stipendia habuerint, partim ex paucis quæ supersunt exemplis, partim ex comparatione cum *Haraldi* Norvegici instituto facta, Historici nostri illustrare solent (a); interdum tamen paullo quam decet confidentius ad leges Norvegicas, quasi plane nostras, provocantes (b): licet haud dubitemus, magnam utiqve fuisse inter gentis utriusqve mores, ex eodem quasi fonte derivatos, etiam hac in re similitudinem.

§. IV.

Multo vero celebriorem adhuc locum in Historia Patriæ sibi vindicant *Jarli* tertii illius atqve præcipui generis, apud quas summam aliquando fuisse Regni potestatem reperimus, Regibus ipsis non raro formidolosam. Horum dignitatem atqve auctoritatem

-
- (a) Locum igitur cum *Eddæ* supra laudatum, cum STURLESONII indicatum (*Hist. Haraldii Purpuric. C. 6.*) commode allegant. Dicitur ab hoc: "Han setti *Jarl* "i hverio fylki, tham er *dåma skyldi lög oc landsrett,* "oc *heimta sakeiri oc landskyldir, oc skyldi Jarl hafa* "tridiung skatta oc skylda, til bords ser oc kostnadar: "Jarl hverr skyldi hafa under ser IV Herfa edr fleiri, "oc skyldi hverr theirra hafa XX marka veitzlo, Jarl "hver skyldi fa Konungi i her LX hermanna af si- "num einom kostnadi; enn Herfir hver XX mann"
- (b) V. DALIN I. c. C. XV. §. 2. Cfr LAGERBRING, I. c. C. X. §. 5, 6, 7, & F. II. C. XIII. §. 14. p. 394.

tem luculenter inprimis exposuit, atque eos ab altero illo genere distinxit Nobil. BOTIN (a); qui itaque ejus rei rite illustratæ præcipuam laudem sibi non immerito vindicat (b). Sed ut in novis inventis sæpe fit, aliquanto longius eorum seriem, quam vetera monumenta sinunt, repetiisse, atque superius illud genus totum fere apud nos delere conatum fuisse, existimes? Ille igitur a R. *Erico Victoriouso*, abolito more pristino regnum ope Conregum. (s. *Regum simultaneorum, Med-Regenter*) administrandi, consilium contra fuisse captum, *Farlum* hujusmodi, sive *primarium*

(a) L. c. C. V. p. 168-174.

(b) "Derföre hafva alle våre häfdatecknare och publicister hittills haft et felaktigt begrepp om detta höga ämbete. De hafva ment, at Jarlar ej voro annat, än store höfdingar, hvaraf flere funnos på en gång, och emellan hvilka Riket var delt i flera höfdingedömen," &c. Hanc culpam nominatim tribuit WILDIO, STIERNMANNO, LAGERBRINGIO &c. Nescio autem, an *huic* quidem obverti recte queat, apud quem legimus (l. c. T. II. C. XIII. §. 13). "Nåst Konungen var denna tiden oförnekeligen högsta myndigheten hos *Farlen*, som på Latin kallades *Dux*, men sällan eller aldrig *Comes*, som man i nyare skrifter det öfversatt. I anledning af Edda och andra gamla skrifter, har oförnekeligen detta ämbete varit meddelt åt flere Herrar i landet på en och samma tid; men nu en lång tid bårtåt synes en allena hafva beklädt denna stora värdighet, och har det namnet svarat emot det som man i våra sednare tider kallat *Premier-Ministre*" &c.

rium Reip. gerendæ administrum constituendi, sibi-
 que adjungendi, contendit (c); primumque huic ma-
 gistratui (post *Styrbjörnum* devictum) præfecisse *Ottarum* (d), cui deinde seriem XXIII aliorum hujusmo-
 di *Jarlorum*, ordine sese excipientium, adnectit (e).
 In qua hypothesi ita adornanda, Vir Nobilissimus
 haud pauca gratis assumpsisse, nobis videtur. Ut enim
 de alia illa hypothesi, huic superiore, de *Simultaneis*,
 sub *Tertia* Historiæ Svecanæ *Periodo*, *Regibus*, nihil
 hoc loco dicam; unde, nisi ex mera conjectura effi-
 citur, R. *Ericum Victoriosum* tale, quod ei tribuitur,
 consilium vere iniisse? Unde doceri potest, *Ottarum*
Jarlum alia aut majore fuisse potestate auctum, quam
 qua *Ranum Jarlum*, tempore *Erici Emundii* floruisse,
 discimus (f)? Nihil sane de hoc *Ottaro* aliud *STURLE-*
SONIUS commemorat, nisi eum *Gothiæ* fuisse Præfe-
 ctum (g), atque provinciæ sibi commissæ defendendæ
 causa,

(c) L. c. T. I. C. V. p. 283 & C. X p. 327.

(d) L. c. T. I. C. X p. 327.

(e) Quam etiam seriem, inde repetitam, sistit Ill. L. B. ROSENHANE. Vid. Nob. UGGIA *Svea Rikes Råds-Längd*, II. Afdeln. p. 22 lqq.

(f) Cfr. supra §. II, not. (c).

(g) "*Ottarr Jarl, hann red fyrir Gautlandi*. STURLESON *Hist. Olavi Tryggonis* C. 27. Ed. *Peringsk. & C.* 28. Ed. *Schöning.* Utrique *Gothiæ* (cum *Ostrogothiæ* tum *Vestrogothiæ*) præfuisse, narratio STURLONIDIS docere videtur. A latere enim orientali *Haconum* Norvegum provinciam *Ottari* aggressum, eoque superato, *Gothia* utraque peragrata, ac nullo præterea alio præfecto ei obvi-

caussa, *Haconi* Norvego, ferro illam vastanti, obviam ivisse, & cum hoc acriter dimicasse, sed superatum, gloriose occubuisse. Nihil de parte aliquva Regiæ potestatis in reliquam *Sveciam*, maxime superiorem illam, ab eo exercitæ, vel *STURLONIDES* loquitur, vel alia monumenta produunt.

De *Ulfone*, filio *Skoglari Toste*, & Patre *Ragvaldi Jarli* (de quo mox), quem summa illa *Jarli* dignitate proxime post *Ottarum* ab eodem Rege *Erico* auctum fuisse Nob. Auctor asserit, nos omnino nihil scire fatemur. Loca certe *STURLESONII* laudata, ne mentionem quidem ejus faciunt, multo minus præcipua illa, quæ ei tribuitur, potestate fuisse gavisum, ostendunt (h). Ac ne nomen quidem suum teneremus, nisi de filio suo agens *STURLONIDES*, docuisset hunc (*Rôgnvaldr Jarl, Ulfson*) patrem habuisse *Ulfonem*

B Ulfr

am factò, in Norvegiam transiisse, expresse docet; "atto
 "their saman orrostu micla, får tha Hakon Jarl sigr,
 "enn Ottar Jarl fell, oc micill luti lids med hõnum,
 "Hacon Jarl får um *Gautland svartvegia* oc allt med
 "herfcilldi, til thefs er hann cemr i Noreg."

(h) Ex *Historia R. Haraldii Grafeldi*, C. XI, discimus, *Sigridem Storråda*, conjugem R. *Erici Victoriosi*, filiam fuisse *Skoglari Toste*, sed cujus nullus ibi filius commemoratur; in *Historia R. Magni Boni*, C. XXIII, de *Ulfone* quidem *Jarlo* agitur, sed alio plane, Danoscilicet illo, *Thorkilli* (i. *Thorgilsi*) filio, R. *Svenonis* Patre, a R. *Canuto Divite* crudeliter trucidato! Cfr. BOTIN I. c. T. I. C. X, p. 328.

(*Ulfr*, Jarli titulo non addito), fratrem Reginæ *Sigridæ* Imperiosæ (i).

Ragvaldum (vel *Rognvaldum*) *Ulfonis*, Jarli dignitate *Vestrogothicæ* præfuisse, *STURLESONIUS* extra dubium ponit (k). Ad totius autem Regni administrationem (sceptrum tenente consobrino suo *R. Olavo Skötkonung*) ejus vel curam vel auctoritatem pertinuisse, neque vel is ullibi docet, (contrarium potius aperte significans), vel ex ullis aliis demonstrari idoneis monumentis potest.

Huic in *Ruffiam* profecto, in Jarli officio successisse porro dicit *Valgöthum Hundheden* (l), quem suc-

(i) Vid. *STURLESON Hist. R. Olavi Tryggonis*, C. 112 Ed. *Peringsk.* C. 113. Ed. *Schön.* Ac dubium haberi queat, utrum *Ulfo* ille & *Sigridis*, vel matre tantum, vel patre, vel utroque parente eodem, nati fuerint?

(k) L. c. de eo dicit: "*Rögnvaldr Jarl Ulfson er tha var kominn til rikis i Vestra Gautlandi.*" Imperium igitur ejus non nisi *Westrogothiam* spectasse, hæc verba aperte docent; quæ per totam consiliorum factorumque suorum historiam confirmantur. Admodum ampla in hanc provinciam potestate usum fuisse constat (Cf. *LAGERBRING* l. c. T. I. C. X. §. 5, p. 377); sed nihil omnino juris vel in reliquas *Sveciæ* regiones, vel in consilia publica extra suam ditionem habuisse, simul patet. In *Vestrogothia* etiam perpetuo habitasse, nec nisi raro (ad Comitia profectum?) *Aulam Regiam* adiisse, reperimus. — Hunc *Ragvaldum Jarlum* vulgo patrem faciunt *R. Stenkil*; in quam rem inquirere, hoc loco non vacat.

(l) Hunc *Valgöthum* (*Valgaut*) nobilitate generis in *Vestrogothia* floruisse (unde filius suus *Tovi*, vocatur

❖) II (❖

successorem habuisse (tempore R. Anundi Jacobi)
filium suum *Tovium* (m); quæ juxta nobis incerta vi-
dentur.

B 2

Ce

ättstorr madr) docet STURLESONIUS *Hist. R. Olavi S.*
C. 165); *Farlum* vero vel *Vestrogothiæ* vel totius adeo
Sveciæ fuisse, nullibi prodit. (Multo minus argumen-
to ullo firmatam narrationem Nob. BOTIN reperimus,
qui hanc ei, licet pagano oblatam fuisse dignitatem
asserit, l. c. T. II. C. V. p. 171. vi legis nuper lata
de paganis meritorum laude insignibus, a Regis a-
micitia, præcipuisque regni muneribus, haud exclu-
dendis). Neque cur probrosum nomen *Hundheden* ei
adhæserit, ratio apparet. STURLESONIUS quidem l. c. sim-
pliciter, paganum adhuc fuisse indicat ("var madr"
hund heidinn"), sine addito scilicet contemptus signo, rem
adeo turpem commemorari non debere putans!),
cum filius suus *Tovius* gratiam R. *Olavi* Norvegici
recuperaturus, eum ad Christianam religionem,
antequam moreretur, amplectendam perduceret. Cui
simplici narrationi multæ postea lacinix adsutæ sunt.
Vid. DALIN l. c. T. I. C. XX. §. 27, not. (m) p. 657
sq. BOTIN l. c. T. I. C. X. p. 340 (qui fabulam etiam
ab *Emundo* Legifero *Vestrogothiæ* Regi *Olavo Sköt-*
konung de Gautio Tofsi filio callide narratam, STURLE-
SON l. c. C. 96, ad hunc nostrum satis temere tra-
xisse videtur?)

(m) Neque huic *Farli* nomen STURLONIDES tribuit. Quod
autem apud ADAMUM BREMENSEM (*Hist. Eccles. L. III,*
C. XII) legatur, Regem *Svenonem* (*Ulfonis*) auxilio
Jacobi R. *Sveciæ*, & *Ducis Tupb*, regnum *Daniæ* re-
cuperasse; inde colligunt, nescio quam tuto, non mo-

De *Stenkil*, postea Rege, quem *Jarlum* fuisse vitrici sui R. *Emundi*, tradunt (n), qva fide hoc asseratur, parum novimus. Nec minus qvæ de *Hacono Ivari*

do de nostro *Tovio* agi, sed hunc etiam *Jarlum* fuisse R. *Anundi Jacobi*, patriqve suo in eo munere successisse. Vid. DALIN l. c. §. 27. & BOTIN l. c. (qvi quod de nuptiis ejus narrat, unde habeat, exquirere nunc non vacat).

(n) Ordinem eventuum ac rerum in patria usqve a morte R. *Anundi Jacobi* ad R. *Ericum* S. gestarum, valde imperfecte jam cognosci, notum est. Vel *Stenkil* natales & ad regnum aditus, exemplo esse possunt. Locus, unde præcipuam de ea re lucem petunt, est C. XIX *Hist. Hervoræ*, ubi verba occurrunt (p. 226 Edit. Hafn. 1765 4.0): "*Steinkell* het rikr madr i Svithiod ok kinstor; modir hanns het *Astridur* dotter *Malfins* ens Skialga af Halogalandi, enn fadir bans var *Rognvaldr* binn gamli. *Steinkell* var fyrst *Fall* i Svithiod; enn eptir dauda Eymundas Kongs, toku Svjar hann til Kongs. Tha geck Kongdomurin ur langfedga ått i Svithiod enna fornu Konga. *Steinkell* var mikill höfdingi, hann atti dottr *Anundar Kongs* &c". *Ragvaldum Priscum*, qvi pater ejus fuisse hic traditur, eundem (nescio an recte?) faciunt, quem *Jarlum Vestrogotbiæ* fuisse supra audivimus. Nec firmiori argumento nostrum, privignum fuisse dicunt R. *Emundi*. Cum vero locum Catalogi vetusti Regum Sveciæ Christianorum, Legibus Vestrogothicis adjecti, (ubi *Vestrogotbos præ omnibus aliis suis amasse civibus* dicitur), cum hoc nuper allato comparamus; non fit improbabile, etiam *Stenkilum* eidem

Ivari (o), *Jarło* primum R. *Stenkilli*, ac deinde ejus in folio Regio successore, qui sibi in Jarlum adsciverit *Kettillum* (p) *paganum* (*Kettil Ochristen*), æqve obscura sunt.

Ejusdem fere commatis porro sunt, quæ de frequentibus *Jarlis* (ordine IX—XVII), *Ugino* (q), *Fol-*
B 3 *conc*

illi provinciæ, antequam Regio admoveretur folio, *Jarli* potestate nomineqve præfuisse? Alioquin mentionem *Jarli Sveciæ* hoc primum loco occurrere, credendum sit?

(o) *Haconi* (s. *Haqvini*) hujus res quantæ sint obvolutæ tenebris, veteres conferenti Catalogos Regum Sveciæ apud BENZELIUM *Monum. Vet. Eccles. Sveog.* p. 17 & 18, cum illo quem *Legum Vestrog. Codici* annexum edidit Nob. IHRE p. 19 sq. mox patebit. Cfr. etiam DALIN l. c. T. II. C. I §. 14 sqq. p. 22 sqq., LAGERBRING l. c. T. II. C. I. §. 14, 15, 16. p. 18 sq. & BOTIN l. c. T. II, C. II. p. 16 sqq. *Jarlum* fuisse R. *Stenkilli* inde (satis precario) colligunt, quod STURLESONIUS (*Hist. Haraldæ Severi s. Håvdråde* C. 72) dicit Regem huic *Jarło* in Wermelandia, ubi ex Norvegia profugus hospitium invenit, feudum concessisse (*veitti Steinkell Konunge Jarli thar yfirsökn*).

(p)(q) Nonnisi talibus argumentis *Jarli* Regii dignitas *Kettillo* (sub R. *Hacono Rufo*) & *Ugino* (sub R. *Ingone Seniore*) vindicatur, quæ magnam parere fidem nequeant. *Illum* fuisse *Jarlum* ditionis *Kind* in Ostrogothia, hunc auctoritate ejusdem generis in Sudermannia floruisse, si concedatur, quid inde, ad rei summam proficietur?

*cone Crasso (r), Sunone Ivari (s), Canuto Folconis (t),
Carolo*

(r) Hunc, a quo non parum splendoris gens *Folkungica* duxit, auctoritate atque opibus floruisse insignibus, & connubium suum & veterum fides monumentorum testantur. Vid. BOTIN l. c. T. II, C. X, p. 265, & auctores ibi laudati. Quod autem in *Chronico Rhythmico Majore* (p. 24.) de eo legitur: "*Folke Jarl var en erlig man, Riksfens Förman tha var han*", nescio an nimis sit premendum; præcipue in Scriptore multo juniore atque ex more sui temporis loquente? Veteres nonnisi *virum inter omnes Svecos nobilissimum* appellant (vid. BENZELII l. c. p. 84).

(s), (u), (x). *Sunonem Ivari, Jarlum fuisse Anti-Regis Erici Årsäll*, aseritur. Nescio quibus argumentis? Virum opulentum atque potentem fuisse, constat (Cfr STURLESON l. c. *Ed. Peringsk* p. 480.) Filios suos, primo *Carolum*, deinde *Ulfonem* patri in munere successisse, apud *Ericum Årsäll*, atque hujus filium *Svercherum Veterem*, similiter pronuntiatur. STURLESONIUS (*Hist. Sigurdi, Ingii & Eystenii* C. 2) de illo nihil habet aliud, nisi virum principem (*Jarl*) in Gothia fuisse, divitem atque opum & dominationis avidum ("Magnus, flydi thadan austr a Gautland til Karls Jarls *"Sona sonar, han var rikr, Madr oc agiarn"*). Cfr. l. c. C. 22. De altero fratre *Ulfone*, mox dicemus.

(t) Hunc (*Folconis Crassi filium*) *Jarlum fuisse R. Ingonis Junioris* dicitur; argumenta nos latent.

(v) Successisse in *Jarlè* dignitate, apud R. *Ericum Sanctum, Canuto Folconis* dicitur, atque eodem deinde munere etiam apud R. *Carolum & R. Canutum Erici*

Carolo Sunonis (u), *Guttormo (v)*, *Ulfone Sunonis (x)*,
Ragvaldo Henrici (y), & *Benedicto Snuffel (z)* asserun-
 tur. Præcipuos suo tempore viros fuisse, dubium non
 est; neque a verisimilitudine abhorret, Regia aucto-
 ritate, turbido illo ævo haud parum fracta, optima-
 tium

fuisse functum; quod ut conciliari possit cum eadem *Farli*
R. Carolum dignitate, quæ eodem tempore *Ulfonem Suno-*
nis eminuisse s. *Ducis* apud eundem constat, hunc *Gothicæ*,
 illum *Sveciæ Farlum* faciunt. Cfr. DALIN l. c. T. II. C. V, §.
 2, 3. Cæterum *Gutormo* huic multa præclara facta, parum
 idoneis nixa testimoniis, tribuuntur: Ducem fuisse R.
Erici Fenniam expugnantis præcipuum (quæ de re mo-
 numenta prorsus silent); expeditionem in Estoniam
 suscepisse (quam inter fabulas non immerito refert
 Nob. LAGERBRING l. c. T. H. C. VIII, § 8. p. 185
 sqq.) &c. Cfr. DALIN l. c. T. II. C. IV, §. 4. p. 105, &
 Cap. V. §. 4. p. 131 sqq; BOTIN l. c. p. 279, sqq. Soræ
 in Dania sepulchrum esse, docent; ubi etiam insignia
 sua visuntur. (LANGEBEK *Scriptores Rer. Danicar.* T.
 IV. p. 554. Cfr. BOTIN, l. c. & III. ROSENHANE l. c. p.
 23.); nisi alium a nostro intelligi debere *Ducem Gu-*
tormum, ostendi queat?

(y) Hunc *Farlum* in Svecia fuisse ("Ormr flydi austra
 Svithiod til Magnus brodor sins, er tha var thar Ko-
 nungr, en Rogvaldr brodir theirra var tha Farl")
 cum frater suus *Magnus* ibi Rex esset, prodit STURLE-
 SON *Hist. R. Haconi Hovdabreid* C. 18. An plus signi-
 ficare velit, quam virum fuisse principem, opibus &
 potentia florentem, nescio?

(z) Neque de hujus auctoritate, quicquam scimus, ni-
 si quod illum (genere & cognatione illustrem) a. 1130
 — 1140 *Farlum in Ostrogothia* fuisse, dicunt.

tium opulentioribus opportunam hinc natam fuisse occasionem, suam sensim potentiam (ut in aliis quoque Europæ regnis factum esse novimus) augendi: sed solenni tali polluisse aut ornatos fuisse, viros supra nominatos principes, munere, quæli *Farli* temporibus eminebant posterioribus, idoneis doceri, de plerisque saltim eorum, nequit rationibus (aa). De ultimis contra VI, quos Nob. BOTIN enumerat *Farlis*, Gentis omnibus Folkungicæ, planior est res certiorque (bb).
Ne-

(aa) Inprimis *Gutormum* & *Ulfonem* auctoritate quadam præcipua jam eminuisse, vel ex *Ducis* appellatione iis tributa, colligi potest: illi quidem in litteris Papæ *Alexandri* III. ad eum & *Stephanum* Archiep. Upsal. datis, si veram earum inscriptionem nobis servavit VASTOVIVS *Vit. Aquilon.* Ed. Colon. p. 161 (quoniam etiam in Sigillo suo vocari dicitur *Gotbormus Dei gratia Dux Svecorum*, BOTIN l. c. 280), *Ulfoni* autem in litteris ejusdem Papæ ad eundem Archiepiscopum, ab ÖRNHELMIO *Hist. Eccles.* L. IV. C. V. §. II. sqq. exhibitis, ubi mentio fit *Ulfii Ducis regni illius (Svecorum & Gotborum)*, p. 483. Ac quamvis eundem vocari *Ulf Comitem* in litteris Archiep. *Stephani* ab eodem ÖRNHELMIO l. c. L. IV. C. VII §. 12 sqq. p. 559 adductis, appareat; patet tamen ejus consilia in negotiis gravissimis fuisse a Regibus adhibita.

(bb) Quorum igitur gesta attingere, atque ex iis rem confirmare, eo esse minus necessarium putamus (pagellarum quoque angustia hanc operam prohibente), quo illa diligentius ab illustribus nostris Historicis LAGERBRINGIO & BOTINO legere licet exposita.

Neque incommodè Nobil. idem auctor observat (l. c. C. V p. 171), docente etiam STURLESONIO, a tempore R. *Olavi Sancti* in ipsa Norvegia non nisi unum fuisse *Jarlum* constitutum, hoc nomine cæteris omnibus Præfectis Regiis dignitate superiorem (cc): cujus potentia, inter lites de successione Regia perpetuas, ac maxime Regibus vel minorennibus vel imbecillioribus solio admotis, vehementer crevit. Qvem morem in Svécia quoque post profapiam Regiam morte *Emundi* Senis extinctam, ex iisdem causis invaluisse, verisimile putes.

§. V.

Potentissimorum horum *Jarlorum* auctoritas atque munus, quo Regibus ipsis videri debuit formidolosius, eo nobis minus videtur verisimile, Principi prudenti & majestatis suæ tuendæ avido, qualem R. *Ericum Victoriosum* fuisse accepimus, originem suam debere. In regnis orientalibus, ubi ad se omnia negotia publica, pro suo arbitrio prompte gerenda, trahit Princeps legum nulla fere coercitus veneratione, talem instituere despoticæ suæ potestatis ministrum (Vizirum &c.), illi consultum fortassis visum fuerit; sed in imperio moderato, qualem Regum Europæorum illis temporibus fuisse constat, vix nisi per Regum imbecillitatem & fœcordiam, opportunitatem præbitam fuisse uni alicui optimatum existimes, omnium Regii mu-

C ne.

(cc) STURLESON l. c. *Hist. R. Haraldii Severi* C. 49, hunc dicentem affert: "Olafur Konungr brodir minn oc Magnus Konungr son hans, tha er their redu riki, leito their einn Jarl vera fenn i landi; hefr ec oc sva gört, sidan er ec vard Konungr kalladr".

neris partium administrationem sibi soli vindicandi, atque locum quodammodo cum ipso Rege imperium se exercendi. Cujus viri privatis quoque opibus cum auctoritatis regiae conservatio magnopere niteretur; mirum non est, si neque facile ab ejus consiliis recedere Rex unquam auderet, neque aliis quam potentissimarum familiarum capitibus hanc potestatem committere; quae sic haereditaria sensim facta, Regi vix nisi umbram quandam majestatis reliquam tandem fecit. Quam rem non tantum Norvegica Historia, sed Francica etiam egregie illustrat; quae immodicum *Majorum Domus (Maires de Palais)* sub dynastia Merovingica potentiam (cum qua commode ultimorum *Farlorum* nostrorum illam l. c. comparat Nob. *Botin*) ex similibus enatam fuisse caussis, aperte ostendit. Unde sapienter Rex *Magnus Birgeri (Ladulås* vulgo dictus), potestatem *Farli* inter *Drotzetum & Marscalcum* dividens, formidolosum illud munus abrogando, gravi aemulo atque quasi tutore Regiam auctoritatem liberavit (a); quam tamen imbecilles successores sui, contra invalescentes optimatum opes, audaciam & callida consilia, tueri & integram servare non valebant.

(a) Cfr LAGERBRING l. c. T. II. CXVIII, §. 8. p. 696 sq. & BOTIN l. c. T. II, C. V, p. 174. Quum vero neque R. *Valdemarum* mortuo Patri suo successorem in *Farli* munere atque dignitate dedisse reperiamus; non sine verisimilitudine, a *Birgeri* ipsius consilio atque prudentia, formidolosi hujus muneris abrogationem accessere licet.